

*Q. D. B. V.*  
**CHRISTIANI WEISII,** 1679 3  
**ORATIO**  
De  
**CONSCIENTIA**  
**PRÆCEPTORUM,**

habita  
**IN GYMNASIO ZITTAVIENSI**

cum  
*d. 20. Junii M DC LXXXIV.* 1624

**NOVUS CONRECTOR**

esset introducendus.

*Accessit*

Ob similitudinem Argumenti

**ORATIO**

De

**OFFICIO COLLEGÆ TERTII,**

habita

*d. 14. Mart. M DC LXXIX.* 1679

**ZITTAVIÆ,**

Typis & impensis Michaelis Hartmanni.



444078



VIRO

*Amplissimo & Clarissimo*


DN. SAMUELI SCHMI-  
DIO, Gymnafii Quedlinburgensis

Rectori per multos annos meritissimo,

Amico & Conterraneo inter paucos  
honoratissimo

S. D.

Christ. Weise.

 *X quo Parentis mei nomen in publica  
scripti dedicatione legendum exposuisti;  
non modo pium Tuum perplacuit officium,  
ut Optimus, dum viveret, Senex habitum sibi hono-  
rem inter acceptissima laboris premia referret; sed  
etiam eò me velut adigeret, ut, qui inter heredes  
sum primogenitus, aliquando cogitarem de hosti-  
mento. Neq; tamen nostris coloribus indiget Tua  
celebritas. Jam illi celebrandis meritis sufficiunt,*

A 2

quos


quos ideo dimisisti doctiores, ut genuinos haberes meritum testes. Quamobrem cum hac Oratio lucem quaereret publicam, ac adeo Nomen simul exoptaret, quod legentium oculis blandiretur, Tuam libuit sollicitare memoriam, non quod aliquam debiti partem hac inscriptione exsolvi crederem: quid enim sperari queat ab argumento, cuius neque prolixitas laudari potest, neque arguta brevitatis? sed quia Tibi jam deberi videbantur singula, quae dicerentur de Virtutibus Praceptorum. Corrector eras primum, si spectaretur locus, quem occupaveras secundum: at Rectorem h. e. ipsum Scholae fulcrum testabantur specimina typis etiam publicis expressa. Sicut igitur dum secundis adesses partibus, feliciter egisti primas; ita nunc, ubi priorem non habes, semper es annisus, ut evaderes superior Te ipso. Et applaudit vero Patria dulcissima, dum Scholam domi agnoscit florentem, esse alibi filios, qui perpetuis meritis Posteritatem sibi devinciant. Quin et ego lator, non Patria modo, sed animorum propiorem conjunctionem nobis contigisse: quam si literis potius quam colloquiis usurpare licuit haec, illibatam sane servamus et sinceram. Idque tanto magis, quo praesentibus molestis Litera, Literarum cultores succumbunt. Multos habemus Studiorum Censores, paucos eruditos. Ac eorum auctoritatem juvenis sequitur

li-

quam libentissime, qui brevioribus lineis seu ut rectius loquar, perfunctoriis nugis industria campum describunt. Extitit, ut audio, nuper, qui Latinam Eloquentiam libenter ad Garamantas dimitteret, Academiis commendaturus Vernacula Professore, ne scilicet in Eruditione quid maneret absconditum, et a Plebis captu remotum. Neque mihi displicere non potuit consilium, quod est Germanicus meis scriptis nonnulli iudicent, Regulas pro captu et lingua facillime propositas, in ipsis exemplis ultra hanc tenuitatem extendi non posse. Qui tamen id ago semper ut utriusque linguae Coniunctio, solidam Eloquentiae laudem confirmet. Sed suaviter sibi insaniant, qui intempestiva sua circumspectione fovent barbariem. Tu mecum amice consentias. Et faxit DEUS, ut successus et felicitas amicitiam jubeat esse diuturnam, nec emergant mala, quibus vel publice vel privatim indoleamus. Inscribendi audaciam ut deprecari non est opus: cur enim displiceat amici manus? Tu mecum rogabis Deum potius, velit Germania Pacem, Paci Scholas, Scholis Praeceptores, Praeceptoribus Conscientiam servare. Haec optima fuerit votorum Concordia. Vale. Dab. est Museo Gymnasii Zittaviensis d. 20. Jul. quem B. nostri Elia meminere fuisse Natalem, nostris gratulationibus saepe celebratum. M DC LXXXIV.

A 3

Au-



## Auditores.

**D**um in solenni hac Panegyri cathedram publicè dicturus conscendo, non est cur quis nimias verborum delicias à me expectet: quin potius ipse fateor, siquid in sermonib<sup>9</sup> meis flosculorum alioquin apparuit, nunc tamen fore, ut intra simplicitatem & loqvendi brevitatem singula consistant. Sanè novam hanc consuetudinem mihi non injungit Obitus *Viri Clarissimi D. ANTONII GUNTHERI, Correctoris in hoc Gymnasio meritissimi*: Is enim tametsi nobis jacturam attulerit insignem, sive eruditione, quàm floruit, spectemus, sive animum ab omni contentione & discordiâ alienum cogitemus; DEI tamen singulari beneficio effectum est, ut novo nos solatio jam exhilaret *Vir aqvè Clarissimus, DN. M. ADAM ERDMANN MIRUS, Adorsio-Variscus & Facultatis Philosophica in Alma Wittebergensi Adjunctus*: qui cum & suis meritis, & Virorum splendidissimorum testimonio Nobilissimis Gymnasii Patronis innotuisset, ac suscipiendi muneris promptitudinem ostendisset, commu-  
bus

bus suffragiis ita vocatus & designatus est, ut nunc ipse solenniter introduci, discentibus commendari, devotoq; omnium voto sublevari mereatur. Neq; verborum aliqua ornamenta mihi jam minuit discessus SUPREMI NOSTRI SCHOLARCHÆ, *Viri Nobilissimi DN. DAVIDIS JENTSCHII, Consulis, dum viveret, Spectatissimi*. Si enim vel maximè flebilis occidit ordini nostro, hoc præsertim tempore, quo variis Consiliis agitandum esset, quicquid ad refarciendum & restaurandum Scholæ Statum pertineret: Sic tamen à DEO non deserimur, quo minus Viri è Patronis benignissimi in laudabilem hanc curam succedant. Tot habemus Viros Scholæ faventes, quot Curia numerat Patres & Senatores: Quos ut clementissima DEI gratia longævos, florentes & felices esse jubeat, etiam precor atq; etiam, ne unquam desint PROMOTORES, BENEFACTORES, & quod nunc maximè optandum est, SCHOLARCHÆ. Sed ideo mihi placuit dicendi simplicitas, & velut planities, quod nunc offerretur argumentum ab omni fuce & ornatu quàm maximè alienum. Nam in legem abiisse videtur Consuetudo multis abhinc annis recepta, ut cum præcipua quidem Verba pertineant ad *Novi Correctoris* introductionem, aliqua tamen requiratur præfatio, quæ solennem introducentis formulam aliquanto reddat illustriorem. Quamobrem  
co-

cogitanti de argumento, quod & Auditorio splendidiſſimo ſatisfaceret, nec nimis à præſenti negotio diſcederet, quod deniq; docentibus ſimul & diſcentibus aliquam utilitatem polliceretur; occurrit maximi momenti, nec forte ſatis intellecta & explicata quæſtio DE CONSCIENTIA PRÆCEPTORUM. Iſtam quia nunc produçturus ſum in medium, ut quæ Conſcientiæ ſint dictamina, inquiram, quibus Cauſis Conſcientiæ error introducatur, diſpiciam, quibus deniq; remediis corrigi deteriora poſſint, demonſtrem: quid quæſo relictum eſſe debeat deliciis Oratoriis? Conſcientia ſuum tribunal & à proœmiis & ab affectibus vult eſſe liberrimum, nullus ſimulationi, nullus blanditiis, nullus ambitioni conceditur locus, & quo ſimplicior ibidem regnat Veritas, eò accuratius de nobili hoc argumentò dixerit, qui præter Veritatem nihil afferre fuerit conatus. Equidem ſuſcipio rem vel in ſe difficillimam, vel brevi ſemihorulæ ſpatio ægrè explicandam: dabo tamen operam, ut ſi veſtrum mihi faueat ſilentium, aliquem Conſcientiæ favorem apud vos videar impetraſſe.

Et ut hinc exordiar, cum agendum nobis eſt de Conſcientiæ Præceptorum, nemo à me requirat axiomata nimis generalia, quibus velut legibus ſubjici ſolent Præceptores, non quatenus huic muneri præficiuntur, ſed in quantum vel Homines ſunt, vel Cives,  
vel

vel Chriſtiani. A Præceptore poſtulat, ut officiis mutuis Proximum demulceat, ut Magiſtratus auctoritatem obſervet, ut DEO reddat, quæ ſunt DEI, ut fidem bonis operibus declaret: interim talia facturus etiam erat, ſi erudiendæ Juventutis functionem permutaſſet cum quolibet ſive artificio, ſive opificio. Et ſanè quoties Legum Scholaſticarum tabulas paſſim promulgatas adſpicio, pleraq; video hujus eſſe generis, ut quemvis potius quàm Præceptore à Legislatore informatum fuiſſe exiſtimem. Ne igitur in hunc impingatur lapidem, propiore nunc oculo libet intueri Præceptoris officium, ut ſi exinde formata fuerit legitima velut idea, tanto ſecurius liceat dictitare, quicquid hanc Conſcientiam vel rectam, vel errantem, vel ſcrupuloſam conſtituat. Et eſt vero Præceptor Perſona Publica, informandi, animadvertendi & puniendi Privilegiis inſtructa, ut ſucceſcentem Juventutem literis, moribus, & Pietate meliorem ſubinde reddere, feliciq; hoc conatu Poſteritatis ruinam præcavere poſſit. Unde ſequitur in Conſcientia ipſum obligari, ut omnia pro viribus agat, quæ ad finem adeo nobilem contribuere quicquam videntur, & ex adverſo à ſe quàm alieniſſima putet, quæcunq; vel minima diſcentibus impedimenta afferre conſueverunt. Interim, ſicut non pauci divina hac gaudent Prudentiâ, ut & de officio ſuo decenter cogitare, &  
B quæ

quæ ad sanctam istam operationem pertinent, feliciter eligere valeant; ita passim deprehendimus laborare Viros alioquin optimos *Conscientia errante, Conscientia laxa, Conscientia nimis scrupulosa*. Quibus quæ medicinam occurrere debeat, jam exponere est animus.

Conscientiam errantem apud eos deprehendo, qui cum sibi videantur diligentissimi, nihil tamen aut parum agunt, quod sit cum utilitate Juventutis conjunctum. Sunt, qui pervasum habent, non esse Scholas nisi modestiæ officinas, ubi silere, timere, obedire discant juniores: quin & Reip. noxium semper fuisse, cum ad eruditionis mysteria nimis multi accessissent. Hanc superstitionem animo qui concepit, in conscientiam sæviter scilicet deliciabitur, si coactos in suam classem adolescentulos clamoribus, jurgiis, verberibus strenuè obtundat, magnoque conatu id agat, ne horas frustra consumptas alii conqverantur. Quia tamen, quos à Parentibus acceperunt rudes stipes, multo rudiores caudices reddunt, ego crediderim Reip. non opus esse Scholas, cum ad infringendam hominum indolem deteriora sufficiant ergastula. Isti igitur cogitent, ideo reprimi juvenum ferociam, ut locum inveniatur sapientia e libris & studiis petenda. Audiant prudentiorum consilia, ne, si errori accesserit arrogantia & contumacia, Conscientiam

ha-

habeant tanto minus excusabilem. Non est cur juventuti ultro invidemus eruditionem, cujus certè serium cultorem in immenso discentium numero sæpe non invenimus. Vicissim sunt alii, qui velut antiquæ Romæ, aut prisca Athenis formati cives, tum de bonâ sibi gratulantur Conscientiam, cum plenis Phræcologiarum, Antiquitatum, observationumque Grammaticarum Collectaneis animos tam diu fatigant, donec trigesimus ætatis annus, antequam studia nobiliora inchoentur, miserabilem à studiis relaxationem postulet. Qui inanibus Verborum lenociniis capti, nequid solidæ Oratoriæ, aut Logicæ, aut Historiæ aut reliquarum disciplinarum intermiscetur, strenuè cavent. Quorum Conscientiam si libeat examinare, vel *Ambitionis*, vel *Simplicitatis* vel *Ignorantiæ* notam deprehendimus. Ambitiosi sunt qui studia quamlibet inutilia, cum semel pertractaverint, simul obtrudunt aliis, ne vel soli insaniant, vel minus eruditi habeantur. Simples sunt, qui, quod à suis olim Præceptoribus acceperunt, etsi nullus respondet fructus, cæco tamen obsequio fervare & admirari constituunt. Ignorantia crassa laborant, qui schediasmata qvaliaqvalia, dummodo sapiant Philologiam, ita proponunt, ut nescio quis Medicus pharmacorum contemptas formulas, non ex morborum conditione, sed e cæco sortilegio dispensabat. Equidem quorum

B 2

Con-

Conscientia sic errat, eos non statim arguere licet malæ Conscientiæ. Vereor interim, ne Patroni sæpe Conscientiam sibi reddant vulneratam: illi præsertim, qui hominem nec Templo nec foro idoneum, Scholæ natum existimant. Quasi nobilior esset cura Templum & forum exornare, ignobilior, ut his ordinibus digni semper surrogari queant, prospicere. Neq; mihi probari potuerunt unquam, qui, quoties vacaret vel Rectoris vel alterius Præceptoris provincia, neminem crederent aptiorem, quam qui Verborum nudas ineptias probe excussisset, quas nemo postea vel sacris vel profanis literis experiretur commodas. Sanè si futor optimus non est, qui de variis coriorum, calceamentorum & ocrearum generibus differere cum spiritu potest, sed qui corium decenter aptat pedi: Si Equisonem non desideramus qui variarum quidem Nationum Equilia describere, pabulum designare, domandi consuetudinem prædicare potest, sed qui efficit, ne nostros in stabulo equos vel fames vel lues absumat: ita etiam Summa Præceptorum laude non afficiuntur, qui eruditionem & disciplinam splendore & vanitate potius quam utilitate metiri solent. At enim verò ne extra limites vagari videar, id agendum potius est, ut, quibus remediis errori afferatur auxilium, inquiramus. Et primò quidem, si omnis Præceptor, omnis Hypodidascalus non

non hominibus servit, sed DEO, qui cordium & operationum justissimus scrutator est; nemo temerè functionem subeat, quæ sit supra vires, supra doctrinam, supra patientiam. Allegatur durum telum necessitas, nec abnuerim, multos abripi in hoc pistrinum, qui de Schola ne per somnium cogitaverant: Sed quis oblata à Principe Secretarii Spartam accipiat, qui rudis sit scribendi; vel inter Duces bellicos numerari velit, qui virum armatum hætenus non conspexerit? nam timendum est, ne Principis indignatio ineptam hanc audaciam graviter ulciscatur. Jam si dubitamus irritare Monarcham suâ mortalitate debilem, cur DEO quid polliceamur, in quo servare fidem non possimus? vel si agnoscamus DEI vocationem, cur seriò non cogitemus, quid salus Juventutis ac Posteritatis incrementum exposcat? Aut tum optimus cogitationum sperari debet successus, cum ab aliorum consiliis pendere licet, id secum quivis statuatur, Audiendos singulos, qui in re Scholastica monere quid aut svadere velint, nec semper esse prudentissimum, qui suo velit abundare sensu. Interim ne nesciatur, quorum monita sequi, quorum repudiare deceat, Suprema Studiorum lex, quæ utilitatem publicam commendat, versetur ob oculos. Credamus in Auditorio conspici *futuros Theologos, Superintendentes, Pastores, Professores, Archidiaconos, Diaconos,*  
B 3 Con-

*Consiliarios, Status Ministros, Consules, Pratores, Secretarios, Senatores, Procuratores, Medicos, Rectores, Praeceptores, Civis ingenuos:* ac adeo nihil ipsis obtrudatur, quod ab his Personis aliquando possit abesse, nihil omittatur, quo carere sine damno vel impedimento nequeant.

Cæterum adeo laborandum non est, de Conscientia docentium Errante, cui adhuc subvenire possunt Inspectores & Amici: gravior Scholarum est conditio, si Praeceptor habeat *Conscientiam Laxam*. Nam in ea quidem opinione versantur non pauci, ideo dispensari officia, ut alere quis se & familiam possit: inde sui curam habent primariam, de Schola cogitationibus secundariis ludere potius quam laborare videntur. Ast aliqui *fraudem dissimulant*, aliqui *rem gerunt apertius*. Qui dissimulantes appellari merentur, primo horas informando absolvendas spectant, non informandi scopum: quas ubi contentionibus, jurgiis, ingeniorumque carnificinis consumpserint, tum Conscientiae satisfactum putant. Describuntur inutilia, Ediscuntur inutilia, Examinantur inutilia: planè ut Diogenesolvebat dolium, ne videretur otiosus, cum tamen suo negotio nec sibi prodesset nec Civibus. Imo cum molestum quoque videatur tot horarum quadrantibus metiri operas, singulari calliditate varias emanendi vel tardius acceden-

dendi causas confingunt, quin & DEO culpam saepe referunt, qui immisso morbo effecisset, ut sub necessario Vocationis labore fatisceret animus. Neque mirum geminam difficultate premi, qui molem libenter non portant. Ego per sex horas velim inhaerere libro, cujus lectio rei singularis cognitionem promitteret: si alius per unicum horam nares admoveere debeat paginis, vel nitidissime conceptis, in ergastulo se versari crederet. Mater ad infantis cunas varia tolerat, quod patientiam sublevat Amor, quæ nunquam perferuntur ab aliis, quorum animo nulla insedit amandi necessitas. Quamobrem Praeceptor non est Praeceptor, qui Parentis amore suos Auditores non complectitur. Quando Parens suum commodum praefert successibus filii? quando ad eum promovendum accedit tardius? quando Panis aut Piscis loco, lapidem vel scorpionem porrigit? Amemus Juventutem, sic Amoris calor discutiet molestiarum obstacula, ut Solis radii confringunt nebulas. Non ingrediamur classem, ut avertamus eorum querelas, qui sedulitatis censuram agunt; non, ut meruisse videamur quantillamcunque salarii portionem, sed ut nostro serviamus amori, ac ibi letantes deliciemur, ubi cor nostrum & thesaurus noster est. Magis autem ab Amore videntur abesse, qui laxam suam Conscientiam documentis nimium apertis declarant, qui vo-

len-



lentes & scientes auxilium multis denegant, ut omne emolumentum iis reservetur, qui privatis adscripti discipulis, extraordinaria remuneratione gratiam & dexteritatem redemerunt. Equidem Lectionum Privatarum non exiguus est fructus, nec recusanda liberalitas, quam Parentes optimi transfundunt in Filiorum benefactores. Multa enim publice vix repeti, declarari, inculcari possunt, quæ privatis horis tentata succedunt ex voto; multa profectionibus tradi nequeunt, ob commilitonum nimium debiles profectus, quæ separatim cur expediantur nihil impedit. Sed qui Publicam docentis functionem recepit, æqualem suis amorem ostendat. Quod domesticus noster habet, habeat quivis extraneus: quin & neminem dicamus extraneum, quem divina Vocatio iussit agnoscere pro filio. In extremo Iudicio Christus sibi exhibita dicet, quæcunq; collata fuissent in pauperimum. *O nolimus deserere pueros, sub quorum personâ latere potest Christus.* Esuriunt & sitiunt h. e. Cupiditate literarum trahuntur? efficiamus, ut Saturitatem Christus deprædicet: Nudi sunt à moribus & commendationibus? demus operam, ut evadant commendabiles. Errantes sunt & velut captivi, dum quâ methodo quid agant videre non possunt? Porrigamus manum, ut nos simul arripiat Christus. Curemus privatos, ne præter meritum nobis contingat dida-

daetri exolutio; Respiciamus ad omnes, ne cum aliquos amplectamur Parentum gratiâ, neminem adjuvemus Christi causâ.

Dici hoc loco simul posset de Præceptoribus, qui, dum peccatis & scandalis involvuntur ipsi, tot molares lapides attrahunt collo, quot discipulos exemplo suo reddunt deteriores, quique non laxam modo & probabilem, sed pessimam & verè diabolicam habere conscientiam creduntur. Quia tamen per DEI gratiam eos Gymnasii nostri habemus Præceptores, quos tantum abest, ut apertorum scelerum liceat arguere, ut potius rogemus Juvenes, velint Probitatis Modestiae ac Continentiae normam à docentibus capere; non est cur levi etiam mentione cognitam eorum innocentiam lædamus. Sed ad vos tamen mea dirigitur Oratio, qui Pædagogorum & beneficia & officia recepistis, vestram appello Conscientiam, quia Pueris dati estis Præceptores: vos interrogo, num credatis, divina etiam vocatione tam sanctam contigisse Provinciam? num timeatis, ne vocanti huic Domino villicationis ratio sit reddenda? Certè si videtis è Studiosorum numero, forte etiam ex Antecessoribus vestris nonnullos in reperienda fortuna infelices, in demerendis Patronis impeditos, in servanda eruditionis gloria debiles, (nam dari quosdã nemo iverit inficias) ipsa Conscientia causam infeli-

citatis dictitaverit. An cum à Pædagogo Puer negligentiae, levitatis, ebrietatis, impuritatis, impietatis exempla liberè committi videt, is eundem non fuerit imitat<sup>9</sup>, quem Parentes imitandum proposuerunt? An autem Angeli Puerorum, qui continuo vident faciem coelestis Patris, tantam corruptionem æquis aspiciant oculis, quò minus supremam Nemesein adversus vos exposcant? Leve & parvum videtur garrere in templo, ludere dum recitantur preces, Lectiones scholasticas tractare negligentius, tumultuari, rixari, licentiam ex libidine metiri: Sed magnum sanè futurum est, si Pueri ad maturiorem ætatem progressi, primam suæ corruptionis causam gravissimis prosequantur suspiriis. Per vestram igitur fortunam, quæ vobis displicere non potest, per minores, quos amare decet, per ipsum Deum vos oro & obtestor, nolitis contemnere Conscientiæ vulnera, quæ quò minus sentiuntur, eo certior minitantur perniciem.

Dum redeo in viam, incidit, quod recens nuperæ Dominicæ memoria Christum sub habitu Pastoris adhuc exhibet, omnesque simul Præceptores monet, velint cavere, ne vel unus è commisso grege pereat in diverticulo. Nam quoties hunc vel illum periisse apparet, hanc nobis cantilenam ingeminat Conscientia: Poteras errantem hanc oviculam quærere diligentius; habebas in potestate plura vitiorum remedia,

dia; obstabat delicata tua mollities, quò minus plenam experiretur severitatem; adeoque nunc præter omnem tuam culpam hæc pereuntis calamitas non contingit. Interim ne, dum Conscientiam describimus rectam, nescientes incidamus in Conscientiam scrupulosam, aliqua nunc restant de Præceptorum solatio adversus turbulentos animi motus, qui certè molestias tanto excitant graviores, quanto quis in officio sanctior esse vult & innocentior. Primo enim Conscientia dolet, adhiberi industriam, tentari omnes ingenii nervos, neque tamen deesse tardos, ineptos, ineruditos, qui Præceptori ne micam eruditionis debeant. Ubi quidem se examinet quisque, num in Christi nomine jactum fuerit rete? Solus enim Petrus suam nixus experientia, si vel maxime noctem jungeret diei, ne piscem quidem capiebat. Ex adverso si constet, DEI auxilium semper fuisse imploratum, ea mentem subeat cogitatio: Laboramus DEI jussu; nostrum est opus facere, DEUS sibi servavit incrementum. Hic noverit, cur quosdam non deceat emergere. Fortassis hunc inflaret scientia, cui simplicitas instillat modestiam. Alius forte meliori abusus ingenio, ita gereret doctrinam, ut furiosus gladium. Fallor an Parentes interdum non sunt digni, quos filiorum Profectus lætificent. Aut sicut in magna domo vasa habemus splendidiora & obscuriora, eundem in

modum DEUS Remp. diversis ingeniorum cultibus insignire constituit. Quod apud Agricolas sunt imbrēs, grandines, erucæ, locustæ, apud docentes sunt scelera, libidines, ineptiæ, otia, eommestationes: adeoque si Agricola conscientia non dependet à fortunæ arbitrio, Præceptores quoque casus ejusmodi fortuitos præstare non tenebuntur. Et quis dicit, nihil profecisse discipulos? non omnis foecunditas initia sua demonstrat. Aliquos crevisse magis videmus quam crescere. Multi quos in Schola credebamus tardissimos, vel in Academia, vel in Rep. deprehendimus expeditos. Utinam in imagine possemus sistere nostros, quales olim essent futuri, forte multos puderet cavillationum, quibus nunc laborant docentes. Porro sibiimet objicient alii, Magistrum quamlibet diligentissimum, majorem adhibere diligentiam potuisse: elapsas interdum horas, quas impendere suis debuisset, omnem expatiandi, conversandi, quiescendi occasionem habere quid ex vitio. Et profecto si ad Legis rigorem examinemus singula, quæ & DEUM & Proximum amare jubet ex toto corde, ex totis viribus, nemo, non tantum inter Præceptores, sed inter omnes omnium hominum ordines & Status nominari potest, qui sinceram jactitaverit Conscientiam. Homines sumus, & quando quotidianis Precibus expetere jubemur peccatorum remissionem, lætâ semper Conscientia nobis

bis gratulamur, fore ut infirmitatis hæc delicta per Christum deleantur & excusentur. De cætero ita morosus non est supremus Scholarum Patronus, ut uno impetu vires prosterni & consumi cupiat. Nam si alterna requies hominem reddit magis durabilem, concatenatus vicissim labor, dum mortem accelerat, magnam simul eripit benemerendi occasionem: nonne qui arcum semper habet intensum, ipse ruptus, aliorum spem, fiduciam & manuactionem interrumpit. Itaque metiamur singula nostris viribus, & ideo credamus uni Scholæ multos destinari Præceptores, ne unus suo labore, velut Atlante coelum, niti publicam fortunam existimet. Video quid hic aliqui objiciant: Evocamur interdum è classe, dum ipsum industriæ ferrum candet; in occursum venit Amicus vel necessarius, cum hora nos ad excitandum hunc ignem vocat; ipsa familia quid objicere potest, unde videamur in officio tardiores. Sed promptissimum hic est Conscientiæ examen. Dispiciamus enim, an sibi tacite gratuletur animus, quod otii honestior causa contigerit? an breviora optentur ista impedimenta? an deprecemur colloquia, vel declinemus occasionem? Ego, quod DEUS novit, nunquam à laboribus ordinariis abstrahor, [nec tamen dies est, quæ talem excusationem non offert,] quin ego velut aciculis insistens, doleam & indignè negligi meos,

meos, intermitti cursum suis jam lineis designatum; & contrahi suspicionem negligentiae apud eos, qui, quibus rebus impediatur, non perspiciunt. Inde quantum his doloribus, his indignationibus liberari queam, semper annitor, nec tanti est vel Amici favor, vel rei familiaris necessitas, ut diuturnam temporis usuram, horis intempestivis eripi patiar. Sed aliam exaudio querelam, diversorum profectuum adesse Juvenes, ut, si quibusdam proponantur utilia, non pauci interim temporis jacturam deplorent. E quibus tamen initio velim quaerere, num aliquando viderint pullos Passerum vel Hirundinum, qui adveniente Matre rostris quidem apertis cibum flagitaverint, aut ad omnem accessum optatum flagitandi scopum non obtinuerint? Satis aluntur, qui suum percipiunt dimensum. Non istius felicissima est conditio, quem Praeceptoris vox ad momenta obtundit: felicior est, qui, quoties audit pauca, multiplici repetitione prudentique applicatione efficit, ut ipsa haec paucitas aliorum splendidam scilicet opulentiam excedat. Docentes eruditionem non derivant per infundibulum, sed quo infundibulo quilibet uti debeat, exponunt. Quod reliquum est, non dubito, quin alios affligat nimia laborum moles, quam sane devorarent vel tolerarent libentius, nisi abesset seculi remuneratio vel deprædicatio. Sive sudemus, inquam,

si-

sive per otium augeamus, aequa laboramus fortuna, ut simus egeni, sumus contempti. Sed o nos felices, si intra hanc querelam nostra consistit miseria. Si Christo servimus, cujus regnum non est de hoc mundo, quis miretur nimis videri vilia Mundi praemia, quae nobilem istam functionem exornent. Equidem Saltator, Gesticulator, Mimus doleat, si absit Spectatorum applausus: unicum enim hunc finem sibi habet praefixum. Lugeat Musicus, si harmoniam excitaverit auribus ingratam; Pictor desperet, qui pingendo laesit inspicientium oculos; Conquerantur alii, quibus una cura dirigitur ad praesentem delectationem. Nos si placeamus DEO, si cognoscamus facta, quae placere aliquando possint seris successoribus, nihil moremur eos, quorum gratiam rem non suscepimus. Plura dicerem, Auditores, quibus interdum scrupulis exerceatur docentis Conscientia. Sed temporis me admonet ratio, quod minus Patientia vestra abutar, & pleraque in his continentur arcana, ad Statistam Scholasticum pertinentia, ut, si producantur in publicum, & nomen & efficaciam arcanorum videantur amisisse. Hoc tamen aliquis scire voluerit, cur, qui Conscientiam Praeceptorum satis accurate excusserim, nihil addam de Conscientia discipulorum? Aut Juvenum aetas haec est, ut internis animi dictaminibus parum obsequatur, nisi accedant Leges, earum-

que

que executio Præceptoribus sit commendata. Ne tamen nihil habeant, quo stimulent Conscientiã, Novum ostendo Præceptorem, qui nunc ad Conrectoris Munus solenniter introducitur, Profecit Vir Clarissimus Halis Saxonum sub *Pratorio*, Cygneæ sub *Daumio*, Viris utriq; hodiernum celebratissimis. Postea laudatissimis *Witebergensib<sup>9</sup>* suam in Philosophia, Philologia & Theologia probavit industriam, ut dignus judicaretur, quem Viri Excellentissimi nobis ultro mirandum & amplectendum offerrent. Cum itaq; Nobilissimus hujus Reip. Senatus, ad quem Gymnasii Patrocinium spectat, non magis alienã commendatione, quam proprio judicio meritorumque pretio permotus, legitima Vocatione benignam suam Voluntatem declaraverit, & nunc, ut ego Rectoris officium, receptã Majorum consuetudine, facerem expressè voluerit, **IN NOMINE SACROSANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, PATRIS, FILII & SPIRITUS SANCTI**, Ego Christianus *Weise* / Gymnasii hujus Rector Te M. Adamum *Erdmann* Mirum Gymnasii Conrectorem publicè renuncio, simulq; jura & beneficia singula tribuo, quibus gavisi unquam fuerunt Antecessores Tui. Accipe Legum Scholasticarum Tabulas, quæ, quid Præceptor à se ipso, quid à discipulis postulare debeat, non obscure declarant. Accipe Programmatis Exemplar,

plar, quod officii & doctrinæ terminos nunc quidem observandos, describit, ut scias docendi facultatem Tibi cum aliis Collegis esse communem. Et quando sola monita Juvenum animos inlectere nunquam valent, accipe severitatis hoc signum, quo sic utaris, ut semper cogites, discipulis non infligi poenas, sed adhiberi medicinam, eosq; interdum succumbere verberibus, non ut fiant miseres, sed ut evadant meliores. Cogita quot Parentes filiorum aut pupillarum Salutem Tuã nunc Conscientiã commiserint, quos tanto feliciter curaveris, quo sincerius amaveris. Crede autem DEUM Tibi fore propitium, ne, quicquid apparet arduum, superatu vel adscensu sit impossibile. Promitte Tibi Patronos undiquaq; gratiosos, siue promotionem fortuna, aut defensionem aliqua difficultas requirat. Expecta benevolum favorem Ministerii Ecclesiastici, quod non Templi solum & Gymnasii, sed Animorum simul hætenus agnovit viciniam. Nec despera de meo Dominorumq; Collegarum affectu, quos in officiis, studiis & auxiliis habiturus es paratissimos. Ipsos vero Cives tanto semper agnoveris addictiores, quanto majoribus beneficiis exornari suos intellexerint. Auditores, nisi omnium sui futuri sunt dissimiles, cum non deserent, à quo suam Eruditionem augeri posse cognoscent. Quos quoniam alias hoc de negotio sum

sum admoniturus, nunc pluribus alloqui supersedeo.  
O largiatur divina Potestas, ut laudabile hoc institutum suo nunquam careat successu! Vigeat in finibus nostris, quin & in universa Germania Pax! Suis firmamentis innitatur Religio! Fautores & Depradatores inveniat Honestatis Amor! Sic de literarum flore & decore quam optima licebit sperare! DEUS efficiat, ne spes confundatur, per Eum, qui Spei nostra Stator fuit & Restitutor.

D I X I.

\* \* \*

ORATIO  
DE  
OFFICIO TERTII.  
LECTOR BENEVOLE.

Antequam Orationem hanc attingas, monendum breviter est, MICHAELEM MASCUM, Zittaviae natum, postea Jctum & in Academia Lipsiensi bis Rectorem, Syndicum Brunsvicensem, tandem Electoris Brandenburgici & Principis Anhaltini Consiliarium Dessaviae 1616. defunctum, ultimis Testamenti tabulis id constituisse, ut quoties rediret dies, quem moriendo designasset, in Gymnasio nostro celebraretur sua memoria, Juvenesq; ad genuinam Pietatis & eruditionis curam admonerentur. Quamobrem cum mihi satisfaciendum esset Viro de Schola nostra bene merito, commode sese obtulit argumentum, quod Tuæ nunc benevolentiae fuerit commendatum, Au-

Auditores.

**S**exagesima tertia & quasi Climacterica nunc Oratio *Mascianis Honoribus* in florentissimo hoc Auditorio destinanda est, ex quo *Vir Nobilissimus*, nec minus de gloria Patriæ suæ, quam de variis Academiarum, Urbium ac Principum commodis bene merentissimus quartum & sexagesimum mortalitatis annum moriendo clausit. Quo magis enim *Vir sagacissimus* judicaverat, fore in patrio hoc Gymnasio perpetuum Virtutis ac eruditionis seminarium; eo securiorem juxta & honestiorem sui memoriam pollicebatur, si repetita singulis annis fama, novum in excrescentibus juvenum ingeniis florem & vigorem indipisceretur. Neq; laudabilem hanc expectationem omnino destituit eventus, quo minus nobilissimi Zittanorum animi, velut in fervidam laudis æmulationem abrepti, non parentando, sed imitando, non lugendo, sed indefessè studendo, Justa hæc Masciana vel supra votum impleverint. Quid autem EMERITUS PARENS MEUS egerit, ne vel in minimâ parte hæctenus ultima hæc Viri Excellentissimi voluntas negligeretur, Orationes testantur non pauca, quas in præsentis diei recursu *de Scholis, de Bibliothecis, de Juventutis educatione*, hoc est de rebus ad materiam literariam spectantibus habuit. Evidentissimo augu-

rio, tum demum honorari literarum Patronos & Promotores, si Scholarum laudes cum eorum memoria indivulso penitus nexu conjungerentur. Proinde cum superiore anno HONORATISSIMUS MEUS PARENſ, *Parentationem Wincklerianam*, B. ANTECESSORIS MEI nomine libenter elaborandam ſuſcepiffet; ego qve viciffim pollicerer, futurum me devoratae hujus moleſtiae memorem, quam priimum MASCIANA RECORDATIO ſimilem laborem eſſet poſtulatura: jam diſpicere coeperam, qva ratione veſtigiis antea obſervatis inſiſtere, meumq; dicendi genus receptae qvin & approbatae methodo potiffimum liceret applicare. Sed inexpectanti oblatum eſt argumentum, a prioribus certe non diverſum; qvòd tamen omni jure novum poſſem appellare. Nobiliſſimus enim REIP. NOSTRAE SENATUS poſtquam dimiſſo *ad Emeritam quietem* PARENTE MEO, Scholae noſtrae neceſſarium ſuoq; officio cumprimis dignum judicaret, ſi vacuus hic locus tempeſtively ſatis repleretur; Iſtis vero laboribus tum ſedulò recipiendis, tum fideliter perferendis omnino videretur aptus *Vir Clariffimus & Pereximius* JOACHIMUS CURTIUS, *Zitta Luſatus, Bb. Aa. & Philoſophiae Magiſter*; adeoq; nihil reſtaret amplius, quam ut certus Introductionis dies designaretur, qvi minimo Patronorum incommodo, nec magno lectionum detrimento poſſet conſumi:

Obtu-

Obtulit ſeſeſ; anniverſaria haec feſtivity, qvâ certè an aptior vel dignior per univerſum anni curriculum inveniri aut excogitari potuerit, ego qvidem adhuc dubito. Nam ſive EMERITUS COLLEGA TERTIUS de Scholarum laudibus plurima congeſſit; pulcherri- mum iſtis Orationibus epiphonema ſperari nunc po- teſt, ubi ſuccedere jubetur alius, ad amplificandas Scholarum laudes novam juventutem novamq; induſtriam allaturus: Sive *laudatiffimi Maſci* Perſo- nam intueamur; talis certe fuit, qvem Scholae Magi- ſtri reſpicere perpetuo debent, ne Maſciana paſſim ingenia, cum inſigni tum gloriae tum utilitatis detri- mento, vel lentius, vel aſperius ad iſtam honoris do- ctrinae; viam deducantur. O felicem igitur Scholae Collegam cui Maſcus introitum ominatur felicior- em! O celebratum poſt funera Maſcum, cujus ulti- ma voluntas reparandae Scholae noſtrae designavit au- gurium! O fauſtam reparationem, ſi commodiſſi- mis initiis progreſſus aequè laudabilis reſpondeat!

Et verò poteram nunc brevi ſermonis apparatu id perſequi, cujus gratiâ cathedram hanc conſcendiſſe potiffimum videor, novumq; hunc Collegam receptâ Gymnaſii formulâ inaugurarè: cum nemo deſperet, fore ipſum a dicendi exquisitiſſimo argumento ſic in- ſtructum, ut, qvicunq; auſcultandi aliquo trahuntur deſiderio, non minus exſatiati redire domum qveant.

D 3

Ne

Ne tamē consuetudini per tot annos confirmatæ vim aut injuriam à me fieri conqveratur, pauca in antecessum prolaturus, DE OFFICIO TERTII disleram, quatenus ille quidem Gymnasio nostro prodesse, spemq; à Patronis præconceptā implere omnino debeat. Et si enim novus hic Collega noster ea hæctenus edidit specimen, ut vel sine tali præfatione, quid factu sit optimum, intelligere ac præstare posse videatur: quia tamen Emeriti Antecessoris vita facilem dicendi occasionem subministrat, cujus Acta Successoribus vel instar cynosuræ inservient; ipsi præterea Candidato jucundum fuerit audire virtutes, olim sub informatione PRÆCEPTORIS WEISII perspectas: non est cur me suscepti consilii, vel vos semihorulæ ad audiendum destinatæ possit poenitere.

Dum vero de OFFICIO TERTII dicere ingredior, quibus præcipuè actionibus suo muneri satisfacere & possit & debeat, non est cur in generaliores Docentium regulas exspatiemur prolixius, quid in Virtutis, Pietatis, morum literarumve studio requiri ac postulari soleat. Ut enim *Ferrarius* in eâ Oratione quam horis extraordinariis publicè legimus, Auditorium suum *Humani generis conventum* appellat; nec omnino abludit à verò, *colligi in Scholis homines, quorum persone variis, penè dixerim singulis vitæ ordinibus surrogari impostero debent*: certè in id elabo-

borandum est, ne sive mollior disciplina, sive negligentior informatio, dum puerorum emolumenta non promovet, humani generis utilitatem abjecisse vel prodidisse videatur. At quæmodum talia ad omnes Juvenum Magistros pertinent, ita, si nunc nihil eloqui animus est, quod præcisè ad COLLEGAM TERTIUM non spectat; planè aliam differendi viam mihi nunc eligendam fuisse, quis est, qui dubitet? Quo quidem loco incidit Gentilium Opinio de Geniis, quam *Appulejus in libro de DEO Socratis e Platone describit*, fuisse ipsos *intermedias quasi essentias*, τὰ μέσα ζώων ἐπὶ τῆ γῆν, καὶ ἐπὶ τὸν ὅλον ἕρανόν, *quæ cum divinitatis aliquam particulam foverent, neq; tamen ab omni hominum conditione essent alienæ, commercia inter DEUM & homines conservare quam felicissimè possent*. Quo etiam sensu Politici disputant de necessario Nobilium statu, *qui, quoniam sanguinis prærogativâ aliquid Principis possident, ex adverso autem uno cum plebeis obediendi vinculo constringuntur; combinanda inter Principem & subditos distantia intermediam suam dignitatem contribuere, immensumq; illum hiatus explere dicuntur*. Quicquid enim sit de his opinionibus, quas Eruditorum Senatus supra omnem exceptionem nondum collocavit: Ille profecto Collega, qui mediarum classium discipulos suæ curæ fidelitatiq; habet com-



commissos, quid est nisi Genius, sublimiora Rectoris studia, cum infimis Hypodidascalorum elementis conjungens. Ut proinde cogitandi causas inveniatur prægnantissimas, quomodo ad inferiora, quomodo ad superiora, quomodo tandem ad medium suum officium respicere jubeatur. Quod enim primo attinet puerilium Classium Magistros, etsi in suis functionibus nihil omittunt, quod erudiendis puerorum animis utile ac necessarium est: citius tamen agricola cujuslibet agri sive glebas sive lapides reddet fecundiores, quam ipsi singulos ad amissim exultos à se dimiserint. Nimirum obstat quorundam ingeniorum tarditas, cui nisi temporis vel geminum spatium relinqvatur, opera facile ac oleum possit corrumpi. Sicut *Maximilianus I. Imperator* ante nonum ætatis annum ne quidem loqui didicit: *Uffo* autem *Vermundi Daniæ Regis filius* ante annum trigessimum, ut loqui tentaret, nullo artificio potuit adigi. Neque de his ita continuo desperandum, quasi ad Remp. præparari nequeant, qui primis annis profectum fiduciam teneant in occulto. Etiam is annus Agricolæ votis respondet, cujus vernum mensem lentum brumæ frigus deformat. Scaturigines quo erumpunt tardius, eò postmodum fluunt vehementius. *Euripides* certè, cum *Alcestidem* Poëtam tragicum jactitare audivisset, quàm facile centum ver-

sus

*sus effundere* posset, cum ipse *Euripides* integro interdum triduo vix tribus conficiendis sufficeret, hoc, inquit, interest, quod tui in triduum tantummodo, mei vero in omne tempus sufficient. Nec alio sensu *Parthasius* tarde pingens, æternitati se operatum credit. Sic de *Cleanthe* Zenonis auditore *Plutarchus* & *Laërtius* tradidere comparatum à Magistro fuisse cera duriori, quæ quidem figuras difficulter reciperet, semel tamen impressas retineret eo firmiter: Ipse etiam *Cleanthes* condiscipulum habens *Xenocratem* ingenii non minus tardi, se similes vasis dixit angustioris orificii, quibus infusa subito nec committi, nec eripi possent: vocatus à quibusdam *asinus*, quod quadrupedis genus ipsius tarditatis Symbolum est, ac ego solus, inquit portare Zenonis sarcinam potero. Ut igitur redeam ad id, unde sum digressus, non deerunt pueri, quorum interesset, si vel quartæ Classi, vel quintæ adhuc adscriberentur, nisi vel deformis statura, vel festinantissima Parentum vota, vel consuetudo, nescio in quam legem deducta, svaderent imo imperarent contrarium. Proinde cum tolerari debeat, quod omnino mutari non potest, TERTIUM fuerit officium demitti ad studia humiliora, ne forte neglectum ingenium possibilem suam fecunditatem, Informatoris culpâ, non acquisivisse doleat. Imprimis vero de quibuslibet ingeniis sperari meliora po-

E te

terunt, si reservata, quam noverunt, methodo, Pietatis, Latinitatis aliarumq; artium præcepta, non tanquam nova addiscant, sed tanquam vetera repetant. Sanè ut *Gallienus* Imperator nunquam ex uno vino per convivium duo pocula bibit, quæsiturus è perpetuâ potionum varietate singularem sive delectationem, sive delectationis opinionem; ita nonnulli rebus literariis egregiè consultum putant, si puerorum labris ignota subinde vina, hoc est, novarum lectionum fex an vappa propinetur: non alio eventu quam ut discentes, ventriculo nullis remediis advesfacto, inter sanitatem & ægritudinem, inter scientiam & ignorantiam continuo fluctuent. O quanto laudabilior *Carolus V. Imp.* qui de palatiis extruendis admonitus, *satis esse* contendit, *si ab Antecessoribus extructa destrui vel corruere non pateretur.* Equidem *Prudentis est pro re nata mutare consilium:* quæ *Leotyche* vox est, apud *Plutarchum* in *Apophthegmatibus Laconum:* sed eodem iudice, *sine causa subinde alium fieri, aut alios facere, inconstantia vitium est.* Unde notabilis jocus *Ciceronis*, postquam *Metellus Diodori*, sui in studiis Rhetoricis Magistri sepulchrum honoraturus, *lapideum corvum* imposuisset, *justum*, inquit, *premiium:* nam *volare ipsum docuit non dicere:* quasi diceret, non constanti regularum dexteritate, sed confuso exemplorum

titu-

titulorumq; volatu, deceptum potius fuisse, quam proventum. O habemus *Icaros*, qui dum ad præcipitia feruntur, non magnis ausis excidunt, sed magnis ausis per minutas variorum ineptias imminere non potuisse conqveruntur. Quæ res Scholasticarum nostrarum Legum Conditoribus occasionem suppeditavit, ut primam Præceptorum Legem, oculis auribusq; feriendis, Constituerunt: *Unanimes mente tueantur consensum, tam in doctrina religionis, quam in artibus vel disciplinis juventuti tradendis.* Neq; contemnendus hic est labor, ut aliquem primorum elementorum pudere queat, si perpendamus quod *Seneca* scribit, *epistola LII. Puta duo ædificia excitata esse, ambo paria & excelsa, æquæ magnifica: alterum dura area excepit, illic protinus opus erevit: alterius fundamenta lassarunt, in mollem ac fluidam demissa humum: multumq; laboris exhaustum est, dum pervenitur ad solidum. Apparet in altero, quicquid factum est: alterius magna pars & difficilior latet.* Lateat igitur aliquis laborum nostrorum effectus, si Venetiis quoq; plura sub ædibus æquæ impositis absconduntur, quam ostenduntur; imo si omniscius sedularum operationum censor in lucem aliquando producet, quicquid humana iudicia aut non vident, aut videre se dissimulant. Et hæc de Copula TERTII cum Inferioribus: nunc videndum,

quomodo mediatoris Personam ipsi RECTORI debeat præstare. Nam, quod *Seneca* dicit, *Amplius est exigendum quam satis est, ut præstetur quantum satis est.* Ac adeo, ut Primanis instillari jam debent Academiae rudimenta, ne Professoribus aliquando vel molesti vel inutiles obstrepant; ita Secundani in Primam Classem collocandi, dimidios jam Primanos, referant, ne, dum cibus solidioribus adhibentur, lactis adhuc usum exposcant. Sic iterum concordiam omnium disciplinarum methodo, unaqueque, ut ita loquar, informantium animam opus est, ne quod unus ædificat, ab altero temerè destruat. Certè si designatas à me lineas contemplor, quibus extruenda variorum ingeniorum palatia præfigurare conatus sum; facile auguror, nihil ab honestissimo hoc proposito citius me vel impedire posse, vel dejicere, quam si contrarius docendi impetus juvenum incertos animos agat in transversum. Nam quoties vel inferior Logica, vel superior Metaphysica, quæ velut Lexicon Philosophicum non immerito ultima Logices habetur perfectio, tradenda juvenibus est, *Methodus* mihi semper arridet *Irenica*, hoc est, quæ suspensis vel conciliatis controversiis ipsius rei usum ante oculos positum habeat. Enimvero multos novi, qui Metaphysicam agnoscerent pro Sapientia, multos qui dicerent Scientiam, alios, qui eandem aggredierentur ut Lexicon Philosophicum:

cum:

cum: qui tamen ad disciplinas superiores delati, tantum abest, ut minimam profectuum senserint diversitatem, ut potius parem in Theologicis ac Juridicis lectionibus successum deprædicaverint. Ita nondum vidi minorem Logices utilitatem ad eos redundasse, qui habitum, artem vel scientiam vocarent, quam qui haberent pro disciplina instrumentali. Nec in Praxi Medicos sensi tardiores, qui Materiam primam defendere, quam qui rejicere didicissent. Habeant ingenia meliora suos lusus, suas exercitationes, ut in re faciliore ad sublimiora succedant: caveant interim ne parerga sua Juvenibus velut rem necessariam obtrudant. Et hæc est ratio, ut, quemamodum *Rudolphus Goelenius* sub initium hujus sæculi scripsit *Conciliatorem philosophicum*, ostensis æquivocationibus, quæ simplicem veritatem sub duplici velut pallio latentem circumferrent; sic ego soleam discipulorum oculos aperire, ne in prurium hunc disputatorium dilapsi, tantum à solida rerum notitia discedant: quantum in rixando proficiunt. Interim si quis in hoc informandi studio *Irenicis* meis laboribus jungere velit methodum *Polemicam*, eam quidem, quæ non exercendo animo, sed velut stabiliendis per ejusmodi prælia fidei articulis incumbit: O quanta utrinque deplorarentur impedimenta! Porro quibus regulis dicendi artem complectar, publico etiam scripto legendum exhibui:

E 3

ni-

nimirum sepositis speculationibus ad excolendam  
lingvam minus necessariis, methodum observo *pra-*  
*cticam* quæ dicendo dicere, scribendo scribere, & à  
*vivis exemplis, mortuam regularum sensum assequi*  
*doceat.* Inde si quis vel Ciceronis Oratorem, vel  
Quintilianum, vel qui omnium placita crudè  
concessit, Vossium tyronibus ad Progymnasmata de-  
ducendis obtrudere vehementius cupiat, citius mihi  
obstaculum, quam juvenibus adminiculum videtur  
allaturus. Habent isti Scriptores insignem suam lau-  
dem, si vel lubeat in hanc artem inspicere penitus,  
vel jucundum putetur Oratoris conditionem specu-  
lativè contemplari: neq; enim hæc contemplatio ab  
homine poterit esse aliena, postquam rerum natura-  
lium scrutatores in speculatione vel minimarum be-  
stiolarum hærentes sæculi applausum meruere: sicut  
magnus ille *Scaliger* fatetur, se integrum aliquando  
triduum insecto cuidam aquatico impendisse, cujus  
intimiorum naturam voluisset experiri: nam præ be-  
stiarum cognitione semper valebit istud humanæ so-  
lertiae potentissimæq; in rebus civilibus eloquentiæ  
examen. Interim habeant fallendi otii honestissimam  
hanc materiam, quos vel lautior fortuna privatae ve-  
lut quieti reservavit, vel absolutus studiorum cursus  
extra Scholasticam informationem jam constituit.  
Nos ex adverso sumus solliciti, in quantum excoli de-  
be-

d

beant ingenia, Ecclesiæ vitæq; publicæ consecranda:  
quorum quidem Usus semper futurus est perfectissi-  
mus, si nihil fuerint speculati, quod agendo vel elo-  
quendo confestim non probaverint. Quid multis?  
Quod Legatus Pontificius *Svenoni IV.* Daniæ Regi  
olim occinebat, bellum Svecicum meditati, *specta-*  
*ret araneas, quæ cum multa opera sese exhausissent,*  
*telam fuisse enatam, in qua nihil aliud caperetur,*  
*quam vilissima musca;* id de inani multorum infor-  
matione dici omnino potest, imo id jam in *præfati-*  
*one ad Erotemata Logica* dixit *Thomasius*, quæsti-  
ones non paucas *telis aranearum similes, in quibus*  
*cum inutilitate certat subtilitas.* Neq; de nostra con-  
cordia despero, si quidem mihi notus est honestissi-  
mus novi DNI COLLEGE animus. Operetur sal-  
tem mecum ad excitandos juvenes, ac, si publicarum  
Lectio-  
num angustia diversam variorum indolem  
tentare vel adjuvare non patiat, per me privatis e-  
tiam horis meum Rectoris laborem reddat faciliorem.  
Non enim, ut in quibusdam Gymnasiis, Ambitione  
an Avaritia Rectorum? singuli Primani ad unicum  
Rectoris oraculum, velut aliqui Rustici ad ebibendam  
sui Nobilis cerevisiam adiguntur, ita liberum hic non  
est eligere Præceptorem cuius ingenio aptissimum.  
Ante paucos dies laudavi Proceres, ex Honoratissimi  
mei Parentis Schola progressos: Faciat Successor, ut  
lau-

laudatissimos aliquando in Curia & Ecclesiâ Discipulos deprehendat. Non omnia possumus omnes. Nec in unius hominis scientia eruditæ Reip. vertitur cardo. Ridetur *Palæmon* Grammaticus apud *Svetonium*, qui secum *Æ natas literas* jaçtibat, *Æ moriturus*. Magis ridetur *Cajus Nævius* Comædiographus, qui tale sibi conscripserat epitaphium: *Immortales si flere fas foret, flerent Diva Camœna Nævium Poëtam, qui postquam orci traditus est thesauro, obliti sunt Romæ Latinâ loqui lingua*. Quin & eruditorum ipsi Principes, quoties doctrinæ Atlantem suis incumbere crediderunt humeris, aliquam ludibrii notam clarissimo alioquin nomini adpersisse sunt visi. Quis in libris fuit versatior *Cl. Salmasio*? Ast cum *Parasiis* Bibliothecam Regiam comitibus *Gaulmyno* & *Monsaco* ingrederentur, qui tantum virum blanditiis capturi, dixerunt: *se omnibus in Europâ Eruditis paria facturos si secum esset Salmasius*; is vero superbius respondisset: *jungerent se alterius partis Eruditis sibi non esse dubium, quin adhuc solus opponi posset omnibus*; fuerunt qui atro carbone notarent jaçtabundam ingenii præsumptionem. Quamobrem si Lectionibus inferioribus, ac præcipue mediis, Grammaticæ styloq; in utraq; lingvâ satisfecerit, non est, cur mecum elaborare non debeat juvenes Academia dignos. Ita verò *Masce* memoriam

non

non verborum inani strepitu recolemus, sed educatis invicem hominibus, *Masco* & *Koblio*, non dissimilibus, singularem Gymnasii splendorem remotis etiam provinciis proponemus admirandam.

Ac adeo non est opus, ampliori verborum circuitu Patronorum & Fautorum aures detinere, quo minus ad id progrediamur propius, cujus gratiâ Amplissimum hunc conventum à NOBILISSIMIS PROCERIBUS destinatum novimus. Quamobrem quod *Felix* & *Fortunatum* esse jubeat *Sacrosancta Trias*, *Jussu* & *Auctoritate* NOBILISSIMI Hujus Reip. SENATUS, EGO CHRIST. WEISE Gymnasii constitutus Rector, Te, M. JOACHIME CURTI, Collegam Tertium, antea solenni vocatione designatum, publicè nunc introduco, & quemadmodum nemini dubium est, fore Te in legendis Antecessorum vestigiis sedulum ac felicem; ita tribuo Tibi omnia jura, omnè Auctoritatem, omnesq; fructus, quibus recepta apud nos Consuetudine frui solet Tui ordinis Collega. En LEGES Docentium & Discentiû officia complexas, quas si perlustraveris accuratius, cogita, *Gloriam DEI*, *incrementum Patriæ*, *salutemq;* *Juventutis supremam esse legem*, unde reliquarum legum, sive obscuritas, sive ambiguitas explicari debeat. Utinam verò discentiû æqualis existeret accipiendi fervor, quàm apud docentes porrigendi semper viget promptitudo!

F

Uti-

Utinam volentes ambularent, ne traherentur nolentes! Sed quia duris nodis in tempore durior quæri debet cuneus, en disciplinæ instrumenta, quæ ubi adhibueris, velim meminisse, extremam esse medicinam adversus eos, qui benevolentia omnia remedia consumpserunt. Affer Paternum animum, ita puniendi fines nemo desertos vel dolebit vel indignabitur. Affer juvandi studium, sic intelliges, quorum interfit graviora pati. Ac ut recepto apud Germanos proverbio nunc uti liceat, *constringe ferulas Orationis Dominica vinculo*; sic, velut ex Aaronis virgâ progerminabunt dulcissimi fructus. Faxit autem Omnipotens Scholarum Stator & Conservator, ut quicquid in honestissima hac vocatione AMPLISSIMI NOSTRI PROCERES exoptarunt, felici eventu compleatur. Constet corpori suum robur, animo sua præsentia, labori suus succellus: Inveniant Patroni, quod laudent, Collegæ quod ament, Discentes quod imitentur: Gratulentur Scholarum Amici, indignentur literarum hostes, applaudat Posteritas.

Quod reliquum est, ad vos, Juvenes, Adolescentes, Pueri lectissimi, mea dirigitur oratio, quorum quidem utilitas tum maxime quæritur, quoties Magistri colliguntur provehendis studiis commodi: Agnoscite PATRES PATRIÆ, qui vos semper habebunt loco filiorum, si, quod filiorum munus est, intra legum cancellos perpetuo subsistatis: Agnoscite no-

vum

vum Vestrum PRÆCEPTOREM, qui, quò magis probatur SPECTATISSIMIS SCHOLÆ PATRONIS, tanto minus à vobis poterit contemni, quos decet à NOBILISSIMO HOC CONSESSU expectare oraculum. Facite vestrum officium, ne puniendi ingruat necessitas: Audite præcepta, ne post scholasticam surditatem, in vitam communi evadatis cæci: Discite, quamdiu docebit; Colligite, quamdiu sparget; Amate quamdiu futurus est amabilis. Vobis hic feritur, vobis metetur. Cavete ne DEUS messibus vestris immittens Operarios, neglectarum frugum culpam in vos conjiciat. Habetis NOVUM TERTIUM, Habet EMERITUS PARENS MEUS SUCCESSOREM: O nos felices, si Patroni habeant, de quo gaudere, Collegæ, de quo gratulari, Adolescentes, de quo sperare possint. Sed habebunt, siquidem non fallunt omnia, futurum eum in operando sedulum, in conversando concordem, in amando constantem. Et largiatur DEUS, ne laboris, Concordiæ, Amorisque symbolum nos destituat, semperque notabilis Insignium Zittaviensium litera Z, quia duplex est, duplicem felicitatem, Mascosque duplo præstantiores polliceatur,

D I X I.



F 3

L. B.

L. B.

*Ne vacuas hic videres paginas, libuit nuperum Programma subdicere, quo Gymnasii nostri status breuiter exponitur. Hoc enim, quia postulat fuit à multis, ingratum nunc esse non potest, vel is tantum, qui postulauerunt.*

**S**æpe à Viris Spectatissimis quæsitum est, cur, qui diversas paginas typographo traderem, nullâ tamen Præscriptione exposuissem, quæ Gymnasii nostri Lectionumq; à Præceptoribus tractandarum ratio esset & methodus. Esse enim, qui suos Juvenes libenter nobis committerent, si, quid sperari debeat, esset in propatulo; Esse alios, qui, quid sui apud nos agerent, cogitando vellent persequi; nec deesse fortassis, qui, cum è variis Præceptorum methodis conquirent optimam, quid valeret nostra, quàm libentissimè essent experturi. Sanè responsum est multis, *preparari Juvenes ad Studia Academica, ac tum dignos videri, quos velut manumitteremus, cum ad illam lucem afferre possent oculos maturiores.* Interim scire volebant, quibus artificiis ipsa hæc Præparatio aboleretur, & intra quas sive latitudines sive angustias Juventuti esset decurrendum. Quamobrem ne obscura sint Consilia, quorum hæctenus nec pudet nec poenitet, operæ duxi pretium, hoc argumento solennem *NOVI CONRECTO- RIS* introductionem commendare.

Et vero Sex diversis Auditoriis nostra separatur Juventus, quibus Octo destinantur Collegæ. Infimis Classibus sui sunt fines. Sexta ad legendum & scribendum pueros manuducit: Quinta primis Declinandi & Conjugandi elementis occupatur: Quarta paulo accuratius ad Regulas Grammaticas progressa, construendi aliquas primitias tyronibus exhibet. Singulæ vero, ut Catecheseos, Precum sacrarum, ac uniuersa Pietatis cura vigeat, quotidianis exercitiis allaborant.

Ter-

Tertia Classis quatuor Præceptoribus patet. Con-Rector tamen & Tertius, quia pauciores horas sibi vident relictas, non tam accedunt docendi causa, quàm explorandi, ut, quos aliquando sua Classe dignos existiment, in tempore cognoscatur. Major cura spectat ad Quartum & Quintum. Ille Pueriles Ciceronis Epistolas, quas peculiari libello habemus congestas, ita excercet, ut latinæ lectioni & scriptioni paulum elegantiori discentes advescant. Iste præter Exercitia Pietatis, tum Enchiridion Grammaticum nuper editum percurrit, tum Versiculos memoriales præcipuorum Poëtarum breuib; paginis comprehendens exponit & ad Profodiam applicat, tum Lingvæ Græcæ prima rudimenta è Weisii Manuductione commendat.

Secunda Classis Con-Rectori & Tertio quàm maximè committitur. Rector enim per Septimanam semel explorat Profectus, ut Primæ Classis Candidatos tempestivè cognoscat. Quartus Ciceronis Epistolas interdum repetit, ne oblivioni tradantur, quæ alibi jam sunt audita. Quintus, quos alibi Versibus memorialibus assuefecit, ad Ovidii castiores & faciliores Elegias deducit. Cæterum Con-Rector, si discesserit à Primitiis Theologicis, quas adhuc è Compendio Hutleriano perimus, Stylum & Oratoriam seriò urget; Tertius Auctoris lectionem (hæctenus placuit Cornelius Nepos) Principia Logica, quin & Exercitia Poëtica proponit. Uterq; sub finem Septimanæ Græcis literis manum admovet.

Prima Classis sæpissimè videt Rectorem. Con-Rector tamen certis horis Scriptorem Latinum prælegit, (imposteriorum placebit Justinus) ac imprimis id agit, ne Græcarum & Ebraicarum literarum amor prorsus intercitat: quem in finem selectiores probatorum Auctorum sententias discipulis communicabit, ne unius Scripti tædiosa lectio, rem seculi fastidio laborantem, reddat minus gratam. Tertius Poëti-

ca curare jussus est, qui cum haecenus Virgilium senserit nimis diffusum, quò minus intra breves horarum angustias coarctari queat, selectiora aliorum Poëtarum carmina, quovis genere concinnata, sic aggredietur, ut singulis mensibus novum exemplum, novam auditorum excitet diligentiam, eorundemque promptiorem imitationem. Cæterum Rectoris præcipuum munus est, dispicere de fundamentis Theologicis, cum Stylo excolere Oratoria, Logicam denique docentem & utentem explicare. In Theologicis sequimur Hutteri Compendium, quod variis artificiis sic perlustratur, ut unus Cursus ultra menses octodecim non excedat, possitque adeo sacrarum literarum cupidus brevi spatio divinæ hujus disciplinæ systema certis, velut lineis designatum contueri. Styli & Oratoriæ primaria arcana haecenus è Mureti Orationibus innotuerunt: nunc ubi lucem adspexit Elucidarius Oratoris Politici, Librum XIII. Epistolarum Ciceronis *Ad Fam.* placuit attingere, ut cum Latinismorum & dispositionum observantia, Exemplorum maxime Politicorum & in vitâ civili conspicuorum imitatio constet. Logicæ Doctrina tyronibus & provectoribus accommodatur: nam continuo examine, theses interpretari, easdem probare & illustrare, quin & disputando ventilare jubentur, nequa pars Eloquentiæ eruditæ maneat in obscuro. Adduntur aliquæ distinctiones Metaphysicæ, quod Lexici Philosophici hæc lacinia, ad disciplinam instrumentalem, & ad modum sciendi maximè pertinet. Horis pomeridianis, Juvenalis, Senecæ Tragici, Claudiani, Martialis aliorumque varios flosculos sparsimus: nunc arrisit Seneca Philosophus, cujus selectiores gnomæ, quoad sensum, dispositionem & imitationem examinatæ, versiculis germanicis redduntur, ut in tempore appareat, quibus realium ornamentis florere debeant Carmina. Horæ Extraordinariæ conceduntur utriusque Oratoriæ, Ecclesiasticæ & Politicæ Studio-  
sis.

sis. Quicquid autem Geographicorum, Genealogicorum, Chronologicorum & Historicorum est Studiorum; quicquid in Physicis, Ethicis & Politicis ita requirit Juvenum vegetiorem memoriam, ut in Schola jam fieri debeat initium, id privatis horis accuratè disponitur, ne, qui triennium hic absolverit, ullis adminiculis sese destitutum conqueratur. Neque reliquis Præceptoribus eripitur occasio, sicubi vel tardiores privatim velint impellere, vel diligentioribus non sufficiat ordinaria festinatio. De Musica verò, quam nunc apud nos floreat, dicere nihil attinet: Arithmetices etiam tractatio quæ sit facilis, multi suo commodo cognoverunt.

Et verò descripsi hic primis tantum lineis, quem Gymnastii ordinem sperare debeant Optimorum Parentum Filii. Quicquid enim Auctorum vel Lectionem publicè jactari potest; ea tamen prævalet Regula: *Spectandam esse ingeniorum indolem, nec temerè quid Auditoribus oberudendum, quod sit ultra captum.* Ita prout vel rudiores vel politiores contingunt Juvenes, Lectionam vel Splendor vel obscuritas industriam comitatur. Est etiam alia Regula, Docentibus maximè necessaria, *Sciri nihil debere, à Juvenibus, nisi quod simul discant loqui.* Sive enim sic demum experiuntur, quantum promitti queat scientiæ, sive expedita hæc lingua facit ad scientiæ commendationem; sive aliter inserviri non potest rebus humanis, nisi latens animi eruditio lucem petat apertiore: Nulla certè est doctrina quæ comitem non habet Eloquentiam. Inde Publicis interdum Actibus, quin & solennioribus Dramatibus exercentur tum Majores tum Minores, ne, qui discunt loqui, nelciant, quantum inter se diffideant Orationes habitæ intra privatos Parietes, & Verba ad publicam Panegyrim effusa. Interim qui temporis & diligentiae jacturam maximi semper æstimamus, id tamen persuaderi singulis volumus: *Pietatem esse ad omnia utilem, & habere Promissionem Vitæ non illius modo, quam*



quam vivet Ecclesia triumphans, sed hujus etiam, ubi in Ecclesia militante Prudentia, successu variaq; Virtute opus est. Huic debuimus incrementa, Huic impostero debemus omnia. Vos vero PATRONI, FAUTORES, AMICI, quos juvat Pietatis aliqua intueri specimina, adeste, & NOBILISSIMIS SCHOLÆ PATRONIS, UNIVERSÆ CIVITATI, imprimis DOCENTIUM ORDINI, nec non venienti ad novum munus CONRECTORI, quem à memoria, hujus & superioris seculi habemus Collegam sextum & octogesimum, Vota nuncupari gaudete. DEUS SERVET ZITTAVIAM!  
P.P. Dom. III. post Trin. M DC LXXXIV.

\* \* \*

Monendus hic est Lector Benevolus, fol. B. 3. fac. r. lin. 16. omissa quædam verba, ut Oratio singularem hiatum ostendere videatur. Sic enim legi debent initia Periodi: *Sive igitur proprio licet fidere iudicio, aut tum optimus cogitationum sperari debet successus &c.* Reliqua vel nemine monente corrigentur.



Εὖν τῷ θεῷ εἰπῶν!  
Communem Studiorum Praesidem,

114.  
1683.

# APOLLINEM,

Votivos suos

cum

NOVENO MUSARUM CHORO

Plausus

In

PANEGYRI GREGORIANA

SUPRA CENTESIMAM DECIMA OCTAVA,

ANNO τῆς θεαυθρωπῆσεως M DC XXCIII. 1683

Ipsis FLORALIBUS, h. e. IV. Cal. Maji,

largiter fundentem,

Scholasticam verò Juventutem ad indefessam, in

Literarum studiis adhibendam, diligentiam

comiter invitantem,

Eidemq; gratissima insimul Præmia

amicè spondentem,

Incluti, quod Gorlicii floret, Gymnasii

RECTOR,

CHRISTIANUS FUNCCIUS, Fr.

Interprete

HENRICO HÆRTELIO,

Gub. Luf.

POP. SCHOLAST. PRÆTORE, CHORIQVE SYMPL. PRÆF.

sistit.



GORLICII, TYPIS ZIPPERIANIS.

1444079